



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. II. Solvuntur objectiones contra hucusque dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

à gratia, licet omnes virtutes morales in hac providentia, à gratia sint inseparabiles: ergo probabiliter etiam charitas; quia nullam adversarii rationem pro identitate hujus afferunt, quæ sit majoris momenti, quam inseparabilitas.

Id tamen hæc facile admitto cum Gormaz n. 9. de gratia sanctificante, justificationem, saltem integraliter sumptam, involvere pro constitutivis non tantum charitatem, sed etiam alias virtutes, adeoque justificationem non adæquatè distingui ab habitu charitatis, bene autem gratiam: quod etiam tenet Eximius. l. 7. de gratia. c. 9. maxime n. 20. nam justificatio integraliter sumpta est renovatio interioris hominis, fitque per voluntariam receptionem gratiæ, & donorum, hoc est, virtutum, ut asserit Tridentinum sess. 6. c. 7. Neque obest huic asserto, quod fides, & spes, possint manere sine gratia, & justificatione; quia calor etiam potest manere sine igne, licet sit aliqua proprietas ignis. Accedit, quod fides, & spes non recipiantur in gratia, tanquam subiecto, sed in anima: neque recipiantur in justificatione; cum hæc sit complexum ex remissione peccatorum, gratiæ, & donis virtutum, ex quibus, ut patet consideranti, nihil est subiectum fidei, aut spei &c.

268. Ut autem argumenta adversa facilius articulo sequenti solvamus, noto 1. ex Gormaz. de grat. u. 13. vocem charitas triplicem apud SS. Patres, Concilia, & Scripturas, habere significationem. Primò hæc vox significat dona ex charitate collata, seu effectus charitatis: & scilicet, ac Galli, elemosynam vocant charitatem: quin & Germani quoque, dum rogant, sibi exhiberi aliquod obsequium, vel favorem, rogant, exhiberi sibi charitatem: sic autem etiam ipsa gratia sanctificans vocatur charitas, non creata, sed Divina, quatenus est donum ex charitate, qua DEUS nos amat, profectum: & hac ratione explicatur illud, 1. Joan. 3. v. 1. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus: hoc est, qualem gratiam sanctificantem, quæ est donum, seu effectus charitatis Divinæ.

Secundò significat vox charitas habitum virtutis, elicitivum actuum amoris DEI super omnia: & in hoc sensu loquitur Apostolus ad Rom. 5. v. 5. Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis: item 1. Cor. 13. v. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas. & S. Aug. l. de spir. & liter. c. 32. Charitas quippe DEI dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Tertio significat hæc vox personam, quæ diligit, & ex dilectione sua dona communicat: sic 1. Joan. 4. v. 16. dicitur: DEUS charitas est: sicut alibi etiam DEUS dicitur fortitudo nostra, patientia nostra, & similia.

269. Noto 2. quamvis munia gratiæ sanctificantis tribuantur aliquando habituali charitati, non tamen sequi, eas esse identificatas; nam ad has, vel similes denominationes, sufficit, quod habitus charitatis speciali modo concurrat ad munia gratiæ, seu ad faciendum filium adoptivum DEI, ejusque amicum; & sic

in Scriptura tribuitur justificatio etiam fidei, & spei; nam ad Rom. 4. v. 5. dicitur: Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam: & ad Rom. 1. v. 17. Justus autem ex fide vivit. & ad Rom. 8. v. 24. Spe enim salvi facti sumus. Imò Tob. 4. v. 21. dicitur: Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat: quin isti habitus, seu virtutes, sint gratia sanctificans, si ve forma expellens peccatum. Quare, licet habitus charitatis attribuat aliquando in Scripturis justificatio, non sequitur, quod cum gratia sanctificante, quæ est inter primaria constitutiva justificationis, identificatus sit: sed tantum, quod ad eam infundendam specialiter concurrat.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones contra hucque dicta.

270. **O**B. 1. ex hæreticis. Gratia, quæ nos justificat, vocatur ad Rom. 3. v. 22. justitia DEI: & 1. Cor. 1. v. 30. dicitur Christus justitia nostra: ergo est tantum forma extrinseca. Confir. Justificatio non est vera remissio, sed tantum restio, vel occultatio peccatorum: ergo non est forma intrinseca delens peccatum, prob. antec. ex illo Psal. 31. v. 1. Beati, quorum remisse sunt iniquitates, & quorum testia sunt peccata: ergo. Resp. neg. conf. Per justitiam DEI, ut habet Tridentinum citatum n. 262, non intelligitur justitia, qua DEUS justus est, sed qua nos justos facit, quasi diceretur: Justificatio est gratia DEI. Christus quoque non est formalis justificatio DEI, sed causalis, sicut scilicet dicitur DEUS fortitudo, & patientia nostra. Ad confir. neg. ant. ad prob. neg. conf. Peccata regi quidem possunt coram hominibus, at non coram DEO, nisi sint destructa; unde regi coram DEO (de quo agitur in eo psalmo) idem est, ac destrui. Pariter DEUM non impurare peccatum, est, destrui illud; quia DEUS non potest reputare innocentem, qui revera adhuc nocens est; hoc enim tantum possunt iudices mali creati. Et sic quoque exponi debet illud Ezechiel. 33. v. 16. Omnia peccata ejus, que peccavit, non imputabuntur ei.

271. Ob. 2. S. Paulus ad Rom. 5. v. 19. comparat Christum, & Adamum, atque, per hujus inobedientiam multos peccatores, per illius obedientiam plures constitutos fuisse justos: ergo, sicut peccatum originale est ipsum peccatum Adami, ita iustificatio nostra est justitia Christi, vel hujus merita. Resp. neg. conf. Aliud est similitudo, aliud identitas; unde non debent similia convenire in omnibus practicatis: igitur sufficit, quod peccatum Adami nos inquinet, & peccatores faciat: & Christi gratia, vel sanguis, aut merita, nos emundent, ac justos faciant: quanquam merita Christi tantum causaliter nos justificent, Adami verò peccatum formaliter nos inquinet, tanquam pars peccati originalis, quod est forma nos maculans. Vide de hoc etiam tractatum de peccatis. n. 287.

272. Ob. 3. Gratia non est effectiva: ergo non est habitus: ergo non est habitualis, seu permanens qualitas. conf. probat. omnis habitus est productivus, vel effectivus alicujus actus: ergo, si gratia non est effectiva, non est habitus. Resp. antecedens esse dubium; Suarez enim l. 6. de gratia. c. 13. n. 14. putat, etiam gratiam sanctificantem influere in actus, sicut, ait, anima (quam distinctam à potentiis supponit) influit cum potentiis in suos actus. Alii volunt, gratiam producere physice habitus: ex quo tamen non sequitur, eam etiam influere immediate in actus; neque enim causa causæ est semper causa physica causati, ut patet in causis producentibus potentias vitales. Alii econtra volunt, gratiam tantum moraliter producere, sive exigere habitus. Gormaz. n. 23. de gratia ait, gratiam esse principium habituum, seu radicem; an autem sit physica, vel moralis, non explicat. In forma. om. ant. & i. conf. neg. 2dam; nam, licet fors gratia non sit habitus strictè dictus, tamen est habitualis, hoc est, instar habitus permanens; cum enim sit radix exigitiva potentiarum, & actuum, & quasi natura, non est tantum aliquid transiens, sed stabile. Quamvis autem illa ratione non probaretur sufficienter permanentia gratiæ, tamen probaretur sufficienter ratione adducta n. 265. & communissima autoritate.

273. Ob. 4. contra conclusionem. n. 266. statutam. Nulla est necessitas multiplicandi entia, & distinguendi gratiam à charitate: ergo sunt identificata. Confir. 1. Anima non distinguitur à potentiis, licet sit natura: ergo neque gratia à charitate. Confir. 2. Gratia, & charitas sunt mutuo inseparabiles: ergo sunt identificata. Resp. neg. antec. Necessitatem distinguendi gratiam & charitatem, probant nostræ rationes, quæ, quamvis non sint certæ, sunt tamen tales, ut probabilem assensum mereantur. Ad 1. confir. Argumentum nimium probat, scilicet gratiam, nec à fide, nec ab ulla virtute adequatè distingui, sicut anima à nulla potentia, etiam sensitiva, adequatè distinguitur, & ab intellectu, voluntate, & memoria, nec inadæquatè, in forma. neg. conf. disparitas est; quia nulla ratio suadet illam distinctionem: at aliquæ suadent istam: dein potentiæ illæ realiter etiam natura sunt; non autem virtutes censentur esse illa quasi natura in ordine superno.

Ad 2. confir. retorq. argumentum in virtutibus moralibus infusus, quæ etiam sunt inseparabiles à gratia. Unde Resp. 1. om. ant. neg. conf. ob nostras rationes. Resp. 2. distin. ant. gratia, & charitas, sunt inseparabiles metaphysicè, seu de absoluta etiam potentia, neg. ant. physicè, vel tantum in hac providentia, vi decreti præsentis. conc. ant. & neg. conf. ita Suarez l. 6. de gratia c. 13. n. 17. & 18. ubi ait, posse DEUM infundere gratiam sine habitu charitatis, quo casu homo esset filius DEI, & posset mereri de condigno, modò DEUS, per omnipotentiam extrinsecè applicatam, suppleret concursum habitus. Idem ait, posse vicissim DEUM infundere charitatem sine gratia, quo casu ait, non posse hominem mereri de condigno vitam æternam; cum non esset filius DEI, consequenter non haberet sufficientem

dignitatem: nec ei etiam deberetur vita æterna, tanquam hæreditas.

274. Ob. 5. Scriptura sæpe effectus formales gratiæ tribuit charitati: ergo sunt realiter identificata. ant. prob. 1. Joannis. 3. v. 1. dicitur charitas nos reddere filios DEI: Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus, & c. 4. v. 7. Qui diligit, ex DEO natus est. 2. ibidem v. 16. dicitur charitas nos unire DEO: Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. 3. Prov. 8. v. 17. dicitur charitas reddere nos amicos DEI: Ego diligentes me diligo. 4. Charitati tribuitur delictio peccatorum. 1. Petr. 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum: & Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum: hi sunt effectus gratiæ: ergo.

Resp. dist. ante. Scriptura tribuit effectus gratiæ charitati, in sensu proprio acceptæ, & quidem tanquam causæ formali, neg. ant. in sensu latiore, vel tropico acceptæ, & duntaxat ut causæ efficienti. conc. ant. & neg. conf. vide dicta n. 269. Textus in probatione allatos expono. In primo per charitatem non intelligitur habitus charitatis, sed ipsamet gratia sanctificans, quæ est effectus charitatis Divinæ, seu donum DEI, ut explicatum, n. 268. ex textu autem ibidem statim subjuncto, non potest inferri, nos per charitatem formaliter nasci, & fieri filios DEI, sed tantum, charitatem esse signum præsentis gratiæ, vel justificationis, quæ est formalis regeneratio. Idem, & non plus, probat textus secundo loco adductus, scilicet, charitatem esse signum amicitiæ stabilis cum DEO, quæ stat in gratia. Potest etiam probabiliter dici, quòd tantum ibi intelligatur qualiscunq; unio cum DEO, sicut qualibet virtus Theologica dicitur potentiam unire cum DEO: quo supposito unio illa non erit effectus soli gratiæ proprius. Textus tertio loco adductus, potius loquitur de actu charitatis, quàm de habitu, & tantum probat, charitatem, seu actum ejus, esse causam aliquam, vel meritum reciproca dilectionis Divinæ: non tamen esse ipsam amicitiam. Quartus tantum probat, charitatem concurrere, tanquam causam physicam, aut moralem, ad deletionem peccatorum, non verò tanquam causam formalem: sic autem etiam fides dicitur justificare, & elemosyna à peccato liberare, ut dictum n. 269.

275. Ob. 6. Aliis adhuc locis Scriptura insinuat identitatem istorum habituum: ergo. prob. 1. privatio gratiæ est mors animæ: sed etiam privatio charitatis est mors ejusdè ex illo 1. Joan. 3. v. 14. Qui non diligit, manet in morte: ergo. 2. Gratia est præcipuum donum DEI: sed hoc est etiam charitas; hæc enim ad Coloss. 3. v. 14. dicitur vinculum perfectionis, & 1. Cor. 13. v. 2. dicitur: Si . . . charitatem non habuero, nihil sum, . . . nihil mihi prodest: ergo. Resp. neg. ant. ad 1. prob. dist. mi. privatio charitatis est mors animæ tantum causaliter, quatenus inducit privationem gratiæ, sicut etiam privatio fidei, aut spei. conc. min. est mors animæ formaliter. neg. min. & conf. privatio autem gratiæ est in suo sensu formalis mors animæ, vel, si esset etiam tantum causalis mors (cum ejusdem rei possint

possint plures esse causæ, propiores, remotiores &c.) non esset eadem causa cum priore. Ad 2. prob. & textus in ea adductos. Resp. ad 2. charitatem esse tantum præcipuam inter virtutes, de quibus ibi Apostolus loquitur: at esse inferiorem gratia sanctificante, ut ait Gormaz. *de grat. n. 27.* & Suarez. *l. 6. de gratia c. 13. n. 8.* quia, ut ait, natura perfectior est, quam ejus proprietates. Ad 2. repono, utique sine charitate in hac providentia, (de qua S. Paulus loquitur) nil prodesse; quia non datur gratia sine charitate; si autem in alia providentia daretur gratia sine charitate, utique prodesset.

276. Ob. 7. Gratia dicitur à nobis radix omnium virtutum: sed talis radix est etiam charitas. ergo. prob. min. *1. Cor. 13. v. 4.* dicitur: *Charitas patiens est, benigna est &c.* ubi enumerantur plures aliarum virtutum actus: ergo. Confir. Gratia facit nos sanctos, & immaculatos: tales nos facit etiam charitas: ergo. prob. min. *ad Ephes. 1. v. 4.* sic dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate.* Resp. neg. min. licet tam gratia, quam charitas sint aliquo modo radix virtutum, tamen sunt in diverso genere. Gratia est radix; quia est quasi natura respectu illarum, tanquam suarum proprietatum: charitas est radix, vel causa moralis earum; quia tanquam regina virtutum, potest omnes actus aliarum virtutum imperare, & ad suum finem ordinare. Ad confir. distin. min. charitas facit nos sanctos causaliter. conc. min. formaliter. neg. min. & conf. ad prob. Resp. illi termini *in charitate*, vel significant charitatem Divinam, qua impellente DEUS homines elegit: vel, si intelligendi sunt de charitate creata habituali, significant, sanctitatem, & immaculatam vitam habendam in charitate, seu per charitatem, tanquam instrumentum præcipuum gratiæ.

277. Ob. 8. Tridentinum. *sess. 6. c. 7.* ait, formalem causam justificationis esse justitiam DEI, non quia ipse justus est, sed quia nos justos facit: exponens autem, quomodo nobis justificatio conferatur, ait, id fieri: *Dum ejusdem sanctissime Passionis merito per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur:* ergo supponit, quod forma justificans sit charitas. Confir. Idem Concilium statim subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem: nec meminit gratiæ:* ergo hanc sub nomine charitatis intelligit. Resp. neg. conf. Ut rectè Suarez. ait. *l. 6. c. 13. n. 6.* particula *dum* non significat identitatem, sed connexionem tantum; unde solum significatur, quod tunc, quando charitas infunditur, homo justificetur: non autem significatur, quod id formaliter fiat per ipsam charitatem: voluit autem, ut idem Eximius observat, Concilium uti termino *charitas* tanquam notiori, & magis certo; cum non sit certum, an præter charitatem distincta gratia infundatur. Ad confir. textus est pro nobis potius, ut explicatum. *n. 266.* unde. neg. conf.

278. Ob. 9. S. Augustinus *l. 15. de Trinitate.*

te. c. 18. ait de charitate: *Nullum est isto DEI dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ:* ergo est gratia. Confir. Idem S. Doctor de *natura, & gratia. c. 42.* de charitate ait: *Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia:* ergo est etiam gratia. Similia habet aliis locis. Resp. neg. conf. S. Doctor ibi, ut patet legenti caput præcedens *17. num.* & hoc ipsum *18. num.* per charitatem intelligit charitatem DEI, scilicet *non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos,* ut expressè dicit. *c. 17.* additque, eam charitatem esse Spiritum S., quem probat dici quod donum DEI, prout eum etiam vocat Ecclesia in hymno: *Veni Creator Spiritus:* ubi eum nominat *altissimi donum DEI:* quam charitatem etiam S. Doctor ait, facere, ut diligamus DEUM: ergo hic textus non venit ad rem.

Quod autem attinet ad illud *dividere inter filios DEI &c.* si etiam intelligeretur de habitu charitatis, responderi posset facilè ex S. Thoma, qui *q. 27. de verit. a. 2. ad 6.* ait: *Dicendum, quod hoc, quod charitas sola distinguit inter filios perditionis, & regni, convenit ei, in quantum non potest esse informis, sicut aliæ virtutes:* hoc est: dividit charitas inter filios &c.; quia ipsa, & etiam ejus actus, semper conjungitur cum gratia.

Ad confir. iterum. neg. conf. nam facilè textus explicatur de justitia causali: quod ibi ad intantum S. Augustini sufficientissimum est; quia tantum ibi intendit probare, omnes homines peccasse: quamvis (ut ait, se omittere) fortè potuissent non peccare, & habere charitatem DEI, quæ (ut subjungit) est justitia &c. Universim autem circa textus S. Augustini in hac materia notandum ex Suarez. *l. 6. de gratia. c. 13. n. 7.* S. Doctorem sæpè loqui, non de charitate habituali, sed de actu ipsius, qui est excellentissimus inter omnes actus virtutum: estque verissima justitia actualis, & dispositivè distinguit inter filios DEI, & filios diaboli: ex quo patet nova responsio, ad textus etiam supra adductos. Si autem probaretur, S. Augustinum aliquando loqui de charitate habituali, tunc in eo casu omnia munera, vel effectus gratiæ, possent charitati habituali attribui; quia in hac providentia sunt inter se semper connexæ, sive, ut ait S. Thomas, quia charitas non est informis, sed semper informata gratiâ.

ARTICULUS III.

An Gratia sanctificans sit composibilis cum peccato mortali.

279. Dico. 1. Gratia sanctificans opponitur ex natura sua peccato mortali. ita S. Thomas. *1. 2. q. 111. a. 2. in corp.* (ubi gratia habitualis ut sanans ab ipso dicitur esse operans, & non cooperans: hoc est, ut se explicat, habet se tanquam forma seipsam communicans. non verò tanquam causa alicujus effectus.) Suarez. *l. 7. de grat. c. 12. n. 3.* & communis Thomistarum, ac nostrorum, contra Scotistas. Prob. Tridentinum *sess. 6. c. 7.* sic ait: *Demum unica formalis causa justitiae,*